

ne personæ; Atqui divinitas & humanitas in **CHRISTO** unam constituunt personam. Ergo. &c.

8. Jam concessâ unione personali & naturarum *νομινωία* contra *Samosateni* deliriū, statim etiam earundem proprietatum *νομινωία* asseritur: quandoquidem non nudæ naturæ, sed suis instructæ proprietatibus, in unionem veniunt.

9. *Quarto* communicationem hanc luculententer evincunt propositiones de hoc mysterio loquentes, quarum scriptura est plenissima; Ut, **CHRISTUS** est natus, Luc. 2. vers. 11. **CHRISTUS** est ex semine Davidis, Matth. 22, 24. 2. Tim. 2, 8. *Data mibi est omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. 28, 28. *Dominum & Christum fecit Deus hunc JESUM, quem vos crucifixistis*, Act. 2, 36. *Deus proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, Rom. 8, 22. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere*, Gal. 4, 4. *Ex hoc erit filius hominis sedens à dextrâ virtutis DEI*, Luc. 22, 69. Matth. 26, 64. Marc. 14, 62. *In CHRISTO sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, Matth. 2, 3. *Ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, ibi sum in medio illorum*, Matth. 18, 20. *Deus proprio sanguine acquisivit Ecclesiam* Act. 20, 28. *Sanguis JESU CHRISTI filij DEI emundat nos ab omni peccato*: 1. Joh. 1. & infinitæ aliæ.

10. Propositiones autem illas veras esse, nemo, nisi extremè impius, negabit: Ergo dicent, quod res est. Quandoquidem vera Enunciatio dicit, uti res est. Veræ autem esse nequeunt sine naturarum & priorum *νομινωία*. Plura argumenta, & quidem specialiora videbimus suis locis. Haftenus de quæstione, An sit.

Qualis sit
communi-
catio.

11. Quæstio *Qualis sit*, subdividitur in quæstionem *quid non sit*; & in quæstionem *quid sit*.

12. Primam igitur quæstionem quod spectat, ex summo

mo